



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. VI. Iesvs amabilis ob amorem nostri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

meretricii oris , vel potius sterquilini conspectus , eritne Domine Jesu quo non emptam velimus pulchritudinis tuæ beatam visionem ? Interim formabimus simulacrum pulchritudinis tuæ, in anima quidem , te diligendo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.) (d) In corpore verò modestiam nostram quæ juxta Naziazenum typus Christi est , notam omnibus hominibus faciendo , ut qui timent te cum videbunt nos laudent te Domine Jesu. Amen.

C A P U T VI.

Iesus amabilis ob amorem nostri.

Vetus est, si vis amari ama, nec amor nisi amore emitur justè aut solvitur. Deus suis ipse amoribus æternum quam sufficientissimus, ineffabilis extasis impetu quasi raptus extra se amavit nos; & quidem prior, & ab æterno, & liberè; nec modo nil
pro-

(d) *Aug. Tr. 9. ep. Ioan.*

promeritos, sed etiã nil nõ demeritos,
nec aliquid sperans, nec aliud spirans
nisi amorem nostrum, nec sibi sed no-
bis studens, & odium tamen sui præ-
sciens vel inde futurum auctius in plu-
rimis exaggerante eorum crimen &
ingratitude[m] immerita mole &
immensa beneficiorum. Sed age quo-
modo dilexit nos? quasi creatura fo-
ret ipsius creatoris summum bonum,
ac Dei Deus, quæ tamen ad creato-
rem quantum bonum est! Ho-
minem creando, magni orbis, quem
ei quasi Imperatori subiecit, summam
ac velut minorem confecerat nullo
non congesto in eum rerum gradu,
unde tot nominibus ad authoris sui
dilectionem obstrictus esset, quot in
universo conditæ res. Accessit illa Dei
imago singularis & similitudo, quam
altissimè eidem impressit, ut homo
imitator sui esset autoris, ac naturalis
hæc esset nostri generis dignitas, ut in
nobis quasi in quodam speculo divinæ

benignitatis forma resplenderet. Porro ad amorem similitudo, quantum valeat nemo nescit. Sanè imago regis & quidem ab ipso picta, si diligere posset, omnia regi suo, pictori aucthorique & archetypo posthaberet, & homo nauseabundus despexit Deum. Quid? an siliceum illi. aut ferreum pectus? an, amandi impos? atqui amandi tam compos & avidum quam vivendi: Cereus in amores flecti cæterorum nihil non efflictim deperit præter Deum: ô furor? Adjecit Deus præceptum diligendi sui minis atrocissimos Tartari cruciatus intentantibus armatum, præmio felicitatis sempiternæ laureatum. Et quotusquisque non neglexit? Tandem ab laceffito Deo tot injuriis, quid expectet corruptissimum genus hominum, nisi fulmina. & sempiternum exitium? Atqui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: & quidem dedit factum hominem, per omnia nobis

nobis similem absque peccato, & ad crucem dedit, & tortoribus dedit totum, gratisque dedit, & ingratitude nostræ certus pro ingratis dedit. Nempe quo carnem saltem nostram Verbum factam carnales, & carnaliter amare docti redamemus, ut gradatim ad amorem spirituales eruditi cor nostrum tandem pro filio corde suo, Patri refundamus. Ita carne inescatos Verbo suo velut hamo piscatur nos Pater. Ita venit Filius exinanitus, usque ad formam servi mendicus amoris nostri. Venit ipse amor inops factus ut inopia eius ditaremur: venit cordi nostro personans illud *fili præbe mihi cor tuum*, & illud *Diligis me plus his*, creatis omnibus? hoc tot linguis clamat quot vivens moriensque mira fecit, quot dira pertulit, quot verba protulit.

§. 2.

QUam dulciter Domine Jesu (a)
cum hominibus es conversatus,
(a) *Bern. ser. 2. de Pent.* quam

quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es , quam fortiter , quàm indigna , quàm aspera pro hominibus passus es , ita ut liceat fugere mel de petra , oleumque de saxo durissimo , duro ad verba , duriore ad verbera , durissimo ad crucis horrenda , quia in omnibus his sicut agnus coram tondente se obmutuit , & non aperuit os suum . Vides igitur quàm verum dixerit ille , qui dixit : Dominus sollicitus est mei . Pater ut servum redimat filio non parcit , filius seipsum libentissime tradit , Spiritum sanctum uterque mittit , & ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus . O duri & indurati , & obdurati filii Adam , quos non emollit tanta benignitas , tanta flamma , tam ingens ardor amoris , tam vehemens amator , qui pro vilibus sarcinulis , tam pretiosas merces expendit ! Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos , sed pretioso sanguine suo quem

quem effudit abunde , quia largiter undæ sanguinis de corpore Jesu , per quinque partes emanaverunt. Quid ultra debuit facere & non fecit ? illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, justificavit impios, triginta & tribus annis super terram visus cum hominibus conversatus pro hominibus mortuus, &c.) O duri iterum & insensati, qui hæc credunt & non disrumpuntur, aut vinculis tantæ charitatis non trahuntur. An non dignissimi æternis ignibus, qui ad tot amoris faces non ardent, sed algent ? Hæc omnia attentè tecum recogita Christiformitatis appetitor, & sine dubio senties vel è filice pectoris scintillam amoris extundi. Memineris ad hæc Pastoris boni quærentis ovem centesimam, reputa accensam lucernam à vidua quærente drachmam hoc est humanitatem Christi quærentis nobis consumptam, & ad nostros usus expensam, recale fatigatum

gatum JESUM, dum Samaritanæ meretricis animam quæreret, Gallinæ Evangelicæ recordare volentis congregare filios Jerusalem, contemplare amorem erga tenellos fœtus suos inditum animantibus eorum amantissimis, & hunc rude imitamentum infiniti amoris Christi erga nos esse intellige. Revoca in memoriam illud Carpo apud B. Dionysium in Epistola ad Demophilum, indignanti ex zelo non secundum scientiam contra scelestos duos, dictum à Christo: Ego iterum paratus sum pro illismori, si Pater sinat; lege historiam de Valgio sentinatore ab S. Paulino viro consulari descriptam (b) (cui spectatori fidē abrogare quis aulit?) colliquescet cor lapideum ad tantam Christi, vel Angeli personam Christi affectumque demonstrantis. *Philanthropiam*, ac senties verè has esse delicias Jesu, esse cum filiis hominum. Postremò audi invitantem promissis ad

(b) Ep. 36.

amo-

amorem sui: Qui diligit me, inquit, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Audi rursus, si quis diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: Audi etiam sic enixè precantem, ut dilectio tua Pater, qua me dilexisti, in eis sit, & ego in iplis. (c) O Domine Jesu, quid mihi es, quid tibi sum ipse, ut sic ames me, & sic amari te jubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane est ipsa si non amem te? & si faciam, promittis ingentem mercedem, & felicitatem, parvane est merces & felicitas, si diligam te? En amo te Jesu amantissime, & si parum est amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris ad id quod iatis est, currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondar in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia
ma-

(c) *Aug. Conf. 13. cap. 8.*

90 CHRISTIFORMITAS,
malè mihi est præter te, non solum ex-
tra me, sed & in meipso, & omnis mi-
hi copia, quæ Jesus meus non est ege-
stas est.

C A P U T VII.

*IESVS amabilis ob Beneficia: & divitias
salutis nobis partas.*

§. I.

MAGNA profectò sunt à Deo colla-
ta mortalibus beneficia, sed ni-
hil ad Incarnationem cætera univer-
sa: hæc summa omnium, hoc summum
beneficiorum. Seu naturæ mundum,
seu gratiæ, seu denique gloriæ spectes,
totum condidit Jesus. Ac naturæ qui-
dem, qua Verbum factorem nemo ne-
scit, quæ verò Deus-homo est, ejusdem
conservatorem non temerè dixeris.
Quo enim Atlante, nisi Christo stare
orbis machinam credas post infinita
hominum flagitia, quorum levissi-
mum promeretur mundi velut arcis
rebellium excidium? Aude etiam or-
bis conditorem dicere, saltem hoc
fen-